ACTA

CATIONIS

ANIÆ ORDI-

in Conven-

ani Domi-

22. Aprilis

Domini 1657.

R. A. P. N. F. IOANNE ESCP

dero Magiſtro, Provinciali eiuſdem
Provinciæ.



dis prouincias caſibus, & cenſuris; quas vſq; [illegible] incurrerunt, abſolui queant, ſicut poterant ab ipſo R. A. P. N. Vicario Generali.

Sententias ſudictas approbamus, & omnem authoritatem noſtram definitiuam reſeruamus, vſque ad feriam tertiam incluſiuè: & aſſignamus congregationem futuram celebrandā Anno Dñi 1657. Dominica *Deus qui errantibus*, Die 15. Aprilis, in Conuentu noſtro S. Dominici Bonauentani. Ex his Actis impreſſis, & manu R. A. P. N. Vicarij Generalis, ſigillo munitis, omnimodam fidem adhiberi volumus. Datis in noſtro Conuentu S. Ildephonſi Regalis Taurēſis, die 23. Aprilis, Anni 1655.

*Fr. Andreas Carrillo, M. Primus Diffinitor.* *Fr. Petrus de [illegible], M. Secundus Diffinitor.*

*Fr. Martinus de Cabeza, M. Tertius Diffinitor.* *F. Petrus de [illegible], Præſentatus, Quartus Diffinitor.*

# ACTA CONGREGATIONIS PROVINCIÆ HISPANIÆ ORDInis Prædicatorum, celebratæ in Conuentu Sancti Dominici Benauentani Dominica *Deus qui errantibus*, die 22. Aprilis Anni Domini 1657.

*SVB R.A.P.N.Fr. IOANNE ESCVdero Magiſtro, Prouinciali eiuſdem Prouinciæ.*



Vallis-Oleti: ex Typographia Bartholomæi Portoles.

Anno 1657.

ACTA

# CONGREGATIONIS

PROVINCIÆ HISPANIÆ ORDInis Prædicatorum, celebratæ in Conuentu Sancti Dominici Benauentani Dominica *Deus qui errantibus*, die 22. Aprilis Anni Domini 1657.

SVB R. A. P. N. Fr. IOANNE ESCV*dero Magiſtro, Prouinciali eiuſdem Prouinciæ.*



Vallis-Oleti: ex Typographia Bartholomæi Portoles. Anno 1657.

# HAEC SVNT ACTA

CONGREGATIONIS PROVINCIALis Prouinciæ Hiſpanię Ordinis Predicatorum, celebratæ in Conuentu Sancti Dominici Benauentani, Dominica *Deus qui errantibus*, die vigeſima ſecũda Aprilis, Anni Domini 1657. ſub R. A. P. N. Fr. Ioanne Eſcudero, Magiſtro & Prouinciali huius Prouincię. Diffinientibus R R. A. PP. NN. Fr. Franciſco de Aragon Magiſtro, & Primariæ Cathedræ in Vniuerſitate Salmanticenſi moderatore, Fr. Petro Iañez Magiſtro, & Supræmę Inquiſitionis Calificatore, & Prędicarore Regio, Fr. Andrea Dabila Magiſtro, & Priore Sancti Dominici Benauentani, & Fr. Petro Rodriguez.

# DENVNTIATIONES.

DEnuntiamus in hac noſtra Congregatione lecta, & acceptata fuiſſe Acta Capituli Generalis Romæ celebrati in Conuentu Sanctæ Mariæ ſuper Minerbam in feſto ſancto Pentecoſtes, die quinta Iunij, Anni 1650. Sub Reuerendiſſimo Patre noſtro Fratre Ioanne Baptiſta de Marinis Generali Magiſtro, præter declarationem, primam, ſecundam, vndecimam, tertiam decimam, quartam decimam, & confirmationem ſextam, quartam decimam, quintam decimam quas omitimus: & præter declarationem octauam quantum ad hoc, quod examen recipiendorum fiat coram Patribus de conſilio, & duodecimam, & confirmationem ſextam, duodecimam quantum ad vnam dietam, & tertiam decimam, quas non admitimus.

Item denuntiamus in hac noſtra Congregatione lectum, & admiſum fuiſſe edictum ſanctæ Inquiſitionis, editum decimanona Octobris, Anni 1633. Et ad monemus iterum, quod Priores, & Preſidentes Conuentum, non tenentur illud notificare fratribus determinate feria ſexta poſt Octauam Aſumptionis, ſed ſufficit legere quoties in Capitulo, vel Defectorio Acta Capitulorum Prouintialium, & ordinationes per leguntur, prout aliàs denuntiatum fuit.

Item denuntiamus, iterum acceptatas, & ad miſſas eſſe in hoc noſtro Capitulo literas Reuerendiſsimi Patris noſtri Generalis Fratris Ioannis Baptiſta de Marinis cōfirmantes ordinationes Reuerendiſsimi Patris Magiſtri Fratris Thomæ Turco circa electiones Priorum tenoris ſequentis.

Nos Frater Ioannes Baptiſta de Marinis Sacræ Theologiæ

logiæ profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſeruus.

Iniuncti nobis Generalatus officij ratio poſtulat, vt quæ ſalubriter à prædeceſſoribus noſtris, præcipue in ſancta Viſitatione, pro diuerſarum Prouinciarum decore, ac fęlici gubernio ordinata ſunt, inviolabiliter obſeruari mandemus. Sane cum venerabilis Pater Frater Thomas Turcus prædeceſſor noſter, pro conſeruanda libertate ſtatuta à ſacris canonibus, in electionibus Priorum, in Prouincia noſtra Hiſpaniæ, ſub die vigeſsima prima Aprilis Anni 1647. Sanxerit (ad hoc vt Prælatus, cui de iure conſtitutionum competit electiones Priorũ dirigere, directionis terminos non excedat, ita vt non electiones, ſed potius aſſertiones videantur) vt cum in Conuentibus, præcipue grauioribus Prouintiæ, electiones Priorum conuentualium fieri contigerit, neminem proponat, vel ſi id grauis neceſsitas poſtulauerit, nõ minus quam ſex, ſecluſo omni reſpectu humano, odio, vel amore, proponere debeat; irritans quamcũque electionem aliter factam, & quod talis propoſitio ita fiat, vt nõ ſit cum excluſione aliorum, nec electores, ſi alios extra nominatos eligant, perſequi, aut affligere pręſumat, memor excomunicationis latæ in capite, *ſciant cuncti*, quã etiam incurrere voluit Priorem Prouintialem, ſi eo intuitu, licèt ſub quocumque paliato prætexto, quem piã Conuentu aſsignare, vel ablegare tentauerit.

3 I[te]m ſuper ſub formali præcepto, ac pœna excommunication[i]s latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, mandauerit Prio[ri] Prouintiali pro tempore præfactæ Prouintiæ, vt facta pro[p]oſitione ſex, vel plurium vt ſupra, nullum ex illis public[e] [a]c priuatim, verbo ac ſcripto, directe, vel indirecte, per [ſe], vel per aliũ, aut alios, aut per quaſcumque interpoſitas perſonas, commendare, aut ſe pro

vo

vno magis quam pro alios declarare præſumat, nec inſinuare vnum illorum, cæteris ipſi futurum eſſe gratiorẽ, cum decreto, quod ſaliter fieri contigerit, electio ſit nulla, & invalida, & confirmator à ſuo officio, vel officijs ſit ipſo facto abſolutus, nec re habilitari poſsit, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum generale, conſcientiaſque ſingulorum in diem Chriſti agrauauerit, vt qui huius rei conſcij fuerint, aut complices, quam primũ Magiſtro ordinis manifeſtare teneantur. Quod idẽ prohibuit Priori Prouinciali in ordine ad electionem ſui ſuceſſoris ſub pœna priuationis graduum, dignitatum, & officiorum ipſo facto incurrenda.

Præterea ad occludendas omnes vias coactioni, & vt electiones libere, ac canonice vocalibus relinquantur, ſub eodem formali præcepto, ac cenſura vt ſupra mandauit Prouinciali, pro tempore præfactæ Prouintiæ, nec admittat oblationes votorum, procuret, vel ſolicitet vota, aut ſuffragia antequamcumque electionem fatiendam Prelato, vel cuicumque alteri offerant, ſub pœna priuationis vtriuſque vocis, & omnium gratiarum, ac beneficiorum, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, ad quæ non niſi per Magiſtrum ordinis reſtitui valeant, & poſsint.

Nos igitur conſiderantes quam per vtile erit præfactæ Prouintiæ, prædictas ordinationes in viridi manu tenere obſeruantia: harum ſerie, ac officij authoritate, illis de verbo aduerbum, iuxta earum tenorem confirmamus, ac præcepta cenſuras, & pœnas de nouo imponimus, ac fulminamus reſpectiue. Sub eiſdẽ tamen præceptis, cenſura, ac pœnis comprehendi volumus ſociũ, vel ſocios Prouincialis, aut Vicarium Prouinciæ pro tẽpore. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti. Amen. Quibuſcumque in contrarium non obſtantibus, in quo-

rum

ſum fidem datũ Romæ in Conuentũ noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minerbam, die 24. Iulij 1654.

*Fr. Ioannes Baptiſta de Marinis.*

ITEM denuntiamus lectas, acceptatas, & admiſſas fuiſſe in hac noſtra Congregatione, litteras Reuerendiſsimi Patris Noſtri Generalis Fratris Ioannis Baptiſtæ de Marinis circa reuocationem diſpenſationũ tractandi de electionibus, tenoris ſequentis.

Nos Frater Ioannes Baptiſta de Marinis Sacræ Theologiæ profeſſor, ordinis Predicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſeruus.

Cum venerabilis Pater Frater Thomas Turcus fœlicis recordationis, prędeceſſor noſter, pro conſeruanda libertate in electionibus Canonicis Priorum Conuẽtualiũ Prouinciæ noſtræ Hiſpanię ſub die vigeſima prima Aprilis, milleſimi ſexcenteſsimi quadrageſimi quinti, in ſancta viſitatione prudenter ſanxerit, ne cum in Cõuentibus inſtat electio, Prior Prouincialis pro tempore prædictæ Prouinciæ aliquem proponat, vel ſi id grauis neceſsitas poſtulauerit, non proponat minus quam ſex, & ſub formali præcepto, ac excomunicatione, eidem prohibuerit, vt indicto caſu, nullum ex propoſitis, publice, ac priuatim, verbo vel ſcripto, directe, vel indirecte, per ſe, vel per interpoſitam perſonam commendare, aut ſe, pro vno magis quam pro alio declarare præſumat.

Quam ordinationem ſecundo, ſub die vigeſima quarta Iulij 1654. confirmauimus, ſub eiſdem præcepto, ac cenſura, cum extenſione etiam ad ſociũ, vel ſocios eiuſdem Patris Prouincialis pro tempore. Vt autem hoc negotium plene, ac perfecte, ſuum ſortiatur effectum, & ne,

quod

quod Priori Prouinciali pro tempore, eiuſque ſocio, aut
ſocijs, eſt prohibitum, alijs, ad quos directio electionum
minus pertinet permitatur; dum non obſtante præcep-
to Prouinciæ, in hac parte ſe vltro intromitunt in ele-
ctionibus, mitentes manus in meſſem alienam, eximen-
tes ſe à tali præcepto, vi diſpenſationum cenſurarum,
vel præceptorum quas à nobis, vel prędeceſſoribus noſ-
tris obtinuerunt; id circo tenore præſentium, noſtrique
officij authoritate, ad ſupplicationem Diffinitorij, vlti-
mi Capituli Prouincialis prædictæ Prouinciæ, reuoca-
mus, ad hunc finem tantum, omnes & ſingulas diſpenſa-
tiones à pręceptis, & cenſuris, à nobis vel prędeceſſori-
bus noſtris, factas pro fratribus prędictæ Prouinciæ; eoſ-
que pręcepto, aut pręceptis, necnon cenſuris Prouincię,
ad electionem pertinentibus aſtringi volumus, & de-
claramus non ſecus, ac ſi prę nominatæ diſpenſationes
non emanaſent, illis in reliquo in ſuo robore permanē-
tibus. Declaramus inſuper, quod in poſterum, ſi quę cō-
ſimiles diſpenſationes à nobis concedantur, non habent
vim ſuper tali præcepto, aut pręceptis, & cenſuris Pro-
uinciæ, niſi de illo, vel de illis, fiat ſpecialis, & expreſſa
mentio, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.
In quorum fidem, datum Romæ in Cōuentu noſtro ſan-
ctę Marię ſuper Minerbam, die 24. Iunij 1655.

*Frater Ioannes Baptiſta de Marinis*
*Magiſter ordinis.*

DEnuntiamus, ſicut in alijs Capitulis Prouincialibus
denuntiatum eſt, factam fuiſſe declarationem in
Capitulo Generali Romæ, Anno 1629. circa duratione
præceptorum, quæ in Capitulis Prouincialibus, ſeû cō-
gregationibus feruntur, quæ eſt decima octaua tenoris
ſequen-

ſequentis. Declaramus, quod præcepta Actarum Capituli Prouincialis, incipiant ad eorum promulgatione, & durent vſque ad promulgationem ſequentis Capituli in quolibet Conuentu faciendam.

## ABSOLVTIONES.

ABſoluimus omnes Suppriores, & Vicarios Conuentuum non habentium Priores, exceptis Supprioribus de Segouia, Villaeſcuſa, Mombeltran, las Nabas, Hiepes, la Vera, quia nuper inſtituti ſunt, & Suppri oribus, de Rioſeco, Alcalà, Cuenca, Palacios, propter inſtantes electiones, vſque ad electionem, & præſentiam Prioris.

## ACCEPTATIONES.

ACceptamus ſtudium, & lectiones Sacræ Scripturæ, magnificentiſsime fundatas in noſtro cõuentu ſanctæ Crucis Regalis Segouienſis, à Reuerendiſsimo Patre Magiſtro Fratre Ioanne Martinez, Catholicę Maieſtatis à confeſsionibus, & ſupræmi Senatus Inquiſitionis à Conſilijs, cum omnibus gratijs, & prȩuilegijs, quibus potiuntur lectores Theologię Scholaſticæ huius noſtrę Prouinciæ, etiam quoad gradus, & concedimus R. A. P. N. Prouinciali, omnem noſtram authoritatem pro ſcripturis, & contractibus faciendis.

Item acceptamus monaſterium Monialium, opidi de Cangas de Tineo, edificandum & dotandum ex vltima voluntate, & mandato Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. D. Ioannis Queipo de Llano Epiſcopi Iaenenſis, & remitimus R. A. P. N. Prouinciali conditionum examẽ, & obſecramus, vt eas acurate perpendat, & congruam

 dotas

dotacionem exigat, cui omnem noſtram authoritatem concedimus pro ſcripturis, & contractibus cum Domina Ioanna Albarez de Murias incundis.

## ACCEPTATIONES GRADVVM.

ACceptamus Magiſterium R. P. Fr. Ildephonſi Miguel Primariæ Cathedrę in VniuerſitateComplutenſi Moderatoris, & Sanctę Inquiſitionis Califi-catoris. Et R. P. Magiſtri Fratris Ioannis de la Cruz Prioris Salmanticenſis. Et R. P. Magiſtri Fratris Mauritij de Lezana, Prioris Sanctæ Crucis Regalis Segobienſis. Et R. P. Magiſtri Fr. Ioannis Martinez de Prado, Veſpertinæ Cathedræ, in Vniuerſitate Complutenſi Moderatoris, & Supræmę Inquiſitionis Calificatoris, & Pręſentaturam R. P. Fr. Ioſephi Gonçalez Prioris, Sanctæ Marię Regalis de Atocha, Et R. P. Fr. Ioannis Correa Regentis Sancti Gregorij Vallis-Oletani. Et R. P. Fr. Bartholomæi Martinez, Lectoris Theologiæ Sancti Pauli Vallis-Oletani.

## EXPOSITIONES.

EXponimus ad legendas ſentẽtias pro forma, & gradu Magiſterij excluſiue, Reuerendiſsimum Patrẽ Magiſtrum Fr. Ioannem Baptiſta Guemes, Sereniſsimæ Reginę Suetiæ, à ſacris confeſsionibus, & Catholicæ Maieſtatis Prædicatorem. Et Reuerendum P. Fr. Ioannem Beruete Priorem Pampilonenſem, & R. P. Fr. Ioannem Buchan, Lectorem Theologiæ Sancti Pauli Vallis-Oletani, & R. P. Fr. Franciſcum Bezerra, Lectorem Theologiæ Sancti Thomæ Abulenſis. Et R. P. Fr. Franciſcum Reluz, Lectorẽ Theologię Sancti Stephani Salmanticenſis.

CREA-

CRreamus in Prædicatores Generales R.P. Fratrum Martinum de Cantos Priorem de Eſtella pro Conuentu de Benauente, & R.P. Præſentatum Fr. Didacum de Alcozer Socium, R. A. P. N. Prouincialis, pro Conuentu de Logroño, Patrem Fratrem Marcum de Riuero, Prædicatoré Sancti Thomę Matritenſis, pro Conuentu de Ocaña; Patrem Fratrem Bartholomæum de Aguero Prædicatorem Vallis-Oletanum, pro Conuentu de Santiago.

## PRÆCEPTA AD OMNES, ET SINGVLAS PERSONAS.

MAndamus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali, omnibus & ſingulis fratribus, huius noſtræ Prouinciæ, ſequentia.

*De nõ ingrediendo cellas.*

Primum; ne duo, vel plures fratres ordinis noſtri, ſimul in aliqua cella fratrum huius noſtræ Prouinciæ coexiſtant. Excipimus cellas Priorum, & Magiſtrorum Nouiciorum, pro ſibi ſubditis: licebit auté ingredi cellas Magiſtrorum huius Prouinciæ, & eorum, qui Prouincialatus officio functi fuerint, præterquam aſigno, quod efficitur poſt completorium, vſque ad primum ſignum primę ſequentis diei. Denuntiamus, quod cellæ fratrũ, poſt notificationé aſignationum ab illo Conuentu, quãdiù in Conuentu commorantur, eorum prorſus præcepto tenentur, quo cellæ aliorum conuentualium. Et ſimul declaramus, quod ſi ille, cuius cellam aliqui fratres ingredi poſſunt, à Conuentu, vel loco, in quo conuentus exiſtit, abſens fuerit, illam pro tunc nõ gaudere tali præuilegio, ſeù licentia. Poterunt autem Patres Prio-

res,ſeû Conuentuum Præſidentes cum ſibi ſubditis diſpenſare;dummodo diſpenſatio nō ſit generalis, aut frequens, quæ poſt vltimum ſignum poſt completorium, nullatenus fiat ſine ſufficienti cauſa, & pro qualibet vice. Ab hoc verò præcepto, non excipiuntur cellæ conuentuales, quando in eis contingat aliquem fratrem infirmari,niſi à Priore, nil Pręſidente cōuentus eſſe cellas infirmariæ declarentur.

*De nō ingrediendo curiā Regiam.*

Secundum: ſub eodem præcepto mandamus, nē quis curiam Regiam ingrediatur,nec eius ſub vrbana, etiam cauſa ſucipiendi ſacros ordines,abſque licentia,R.A.P. N.Prouincialis. Et ſub eodē præcepto, nec non ſub pœna excomunicationis maioris latę ſententiæ, ipſo facto incurrenda, vna hac pro trina canonica admonitione præmiſſa, ne quis in dicta Curia, aut eius ſub vrbanis, extra conuentus noſtri ordinis, ſine licentia expraſſa, R.A.P.N.Prouincialis per noſtem:quod vt infalibiliter executioni mandetur, omnibus Reuerendis Patribus Prioribus,qui nunc,& pro tempore extiterint in noſtro Conuentu ſanctæ Mariæ de Atocha,ſancti Thomæ Matritenſis,Hoſpitij, & Roſarij, quorum concientias in diem Domini aggrauantes, præcipimus, vt quemlibet Fratrem,cuiuſcumque ſtatus ſit,& conditionis,quem in prædicta Curia, aut in eius ſub vrbanis, ſine ſocio diuagantem repererint, ſtatim aprehendat, & R.P.Priori, noſtri conuentus de Atocha,tradant, qui eos tam in pane,& aqua,quam carcerali cuſtodia ſeuere puniat. Declarantes omnes hoſpites, cuiuſcumque cōditionis ſint, ad ipſum Priorem, ſeù præſidentem dicti Hoſpitij pertinere,etiam quoad correctionem, & punitionem. Item ſub eodem præcepto mandamus,ne quis in dicta Curia, neque in Vallis-Oletana, pedeſter ambulans, galerum portet,exceptis procuratoribus conuentuum vtriuſque curiæ.

Ter-

Tertium: nẽ quis adeat monaſteria Monialium, nec beatarum, nec aliarum mulierum, in vnum congragatarum, ſub obedientia vibentium, nec ad earum Eccleſias, ad coloquendum cum ipſis, niſi de licentia Prioris pro qualibet vice, quæ licentia in alium diem tranſlata, non valeat; nec dari poſsit à ſopprioribus, nec Vicarijs, Prioribus in opido exiſtentibus.

*De non adeundo monaſteria Monialium.*

Quartum: (vt libertati electionum conſulamus, iuſta decreta ſacrorum Canonum, & ordinationum Reuerẽdiſsimi P. N. Generalis Fr. Thomæ Turco) præcipimus ſub eodem præcepto omnibus fratribus noſtrę Prouinciæ, nec non ſub pœna excomunicationis maioris latæ ſententiæ, ipſo facto incurrẽda, vna hac pro trina canonica admonitione præmiſſa, ne quis tractet, nec ſe intromitat in electione Prioris alicuius cõuentus, verbo, aut ſcripto, per ſe, vel per alios, etiamſi ſit Prior eiuſdẽ conuentus in quo electio eſt facienda, & vocem habuerit in electione, vſque dum officium ſuum perfecerit. Et ſub eodem præcepto mandamus: ne quis ſuffragium ſuum offerat, nec R. A. P. N. Prouinciali, nec alicui alteri, tam pro electione Prioris Prouincialis quam conuentualiũ.

*De nõtractando de electione Prioris alterius Cõuentus.*

Quintum: præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obediẽtiæ, & ſub pręcepto formali, omnibus fratribus noſtrę Prouinciæ: ne quis obligationem miſſarũ aſſumat vltra quinquaginta; ita vt nunquam ſubiaceat obligationi ad maiorem numerum. Et quidquid ſupra talem numerum receperit pro obligatione Miſſarum, ex nunc pro tunc, applicamus communitati in qua habitant, etiam in foro interiori iuxta votum paupertatis, & tunc conuentus tenebuntur illas celebrare recepto ſtipendio.

*De numero Miſſarum.*

Sextum: ſub eodem præcepto mandamus, omnibus patribus Prioribus, ſeù preſidentibus conuentuum, & Depo-

*De Remittendo ſextas partes defũctorũ.*

Depoſitarijs, quod ſextam partem bonorum fratris defuncti, remittant infalibiliter, ad patres à R. A. P. N. Prouinciali deſignandos.

*De non nominando titulo Reuerẽtiæ aut paternitatis.*

Item: ſub eodem precepto mandamus, vt nullus titulo paternitatis nominet, niſi Magiſtros, & Priores, vel qui tribus vicibus prioratus officio functi fuerint. Et Præſentatos, prædicatores generales, procuratores ordinis, Vicarios tam conuentum non habentium Priores, quam Monialium, & Lectores Theologiæ, qui per ſex annos integros Theologiam legerint; nec nominet titulo reuerentiæ, vel patris, iubenem, aut laicum.

*De veſtibus interioribus.*

Item: ſub eodem præcepto mandamus, quod nullus frater, veſtimenta interiora induat, niſi prius patri Priori oſtendat materiam, & formam veſtimenti. Et Prioribus ſub eodem præcepto præcipimus ne permitant talia indumenta, niſi ſint cum modeſtia, & decentia religioſa.

*De aſiagnationibus.*

Item: ſub eodem præcepto mandamus Prioribus, ſeù conuentuum præſidẽtibus, vt aſignationes à R. A. P. N. Prouinciali, quomodolibet receptas, inviolabiliter notificent; & ſi ob aliquam cauſam, viſum fuerit, eas non notificare, teneantur ſuam admodum paternitatem reuerendam certiorem facere. Et quod nullus prior poſsit aſsignatos detinere, etiam prætextu petendi aliam aſignationem pro ſuo, vel alieno conuentu, & moneat priorem cõuentus, ad quem vadit aſignatus, de die qua exijt à ſuo.

*De nõ tractando de materia Cõceptionis.*

Tandem: præcipimus in virtute Spiritus Sãcti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali, omnibus & ſingulis, noſtrę Prouinciæ, fratribus ac ſororibus, ne verbo, aut ſcripto, circa materiam conceptionis, Beatiſsimę Virginis Mariæ, apud perſonas extra ordinem noſtrum conſtitutas, aliquid proferant, quo, vel lebiſime eorum pietatem, & deuotionem erga ſanctiſsimam Virginem im-

impedire poſsit: ſed ad vnguem decreta ſumorum Pontificum inſilentio ſeruando, etiam à non prohibitis circa noſtræ ſententię prouabilitatem penitus abſtineant, nec ex in ordinata, aut minus prudenti locutione ſumatur ocaſio turbationis, & ſcãdali, ſed potius ex Religioſo ſilentio, & ex verborum, & actionum modeſtia, reuerentia religionis, & fidelium edificatio conſequatur: quod ſi quis huius pręcepti violator extiterit, pœne grauioris culpę etiam quoad pœnas priuatiuas, & infamiam ſubiaceat, & ſimili pœna plectatur quicũque, qui huius legis fractionem cognouerit, & non ſtatim renuntiaberit R.A.P.N.Prouinciali.

## PRAECEPTA PARTICVLARIA AD SPECIALES PERSONAS.

PRæcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientię, & ſub præcepto formali ſequentia.

*Ad quid teneãtur fratres depoſitati.*

Primum: quod fratres Depoſitati in hac noſtra Prouincia, ſine in aliquo ipſius conuentu (modo ſint ex noſtra, modo ex aliena Prouincia) teneantur ad omnia pręcepta, tam prouinciæ quam conuentuum, in quibus ſunt depoſitati, & pro hijs teneantur tot miſſas dicere, ac cæteri aſsignati, hebdomadam facere, & omnia alia officia exercere, ac ſi vere eſſent aſsignati: declarantes, quod depoſitati in noſtra Prouincia, non habent vocẽ in electione conuentuum, in quibus ſunt depoſitati.

*De reformatione ſtudiorũ.*

Secundum: ſub eodem præcepto formali mãdamus, omnibus fratribus conuentum ſtudiorum, ad quos quomodolibet ſtudium attinet, vt nullo modo omittãtur in diebus lectiuis lectiones, conferentiæ, aut cõcluſiones, etiam prætextu expoſitionis ad audiẽdas confeſsiones, nec hora conſueta earum mutetur, nec in illis dẽtur recrea-

creationes, vigilia actus maioris omittantur conferentiæ, non tamen dentur recreationes, & die immediate ſequenti dentur recreationes pręterquam in aduentu, & quadrageſima, & in eadem hebdomada alio die, non vaccent ab exercitio ſtudiorum, vllo alio titulo, nec in alia hebdomada concedatur licentia exeundi à conuentu recreationis cauſa titulo actus maioris, niſi ſit dies aſſuetus, vel feſtibus: & in octauis natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Penthecoſtes, octauoque die ſolemnitatis Corporis Chriſti, & in recreationibus octo dierum ante aduentum, & quadrageſimam conſuetis; aut ſi forte hora concluſionis, conferentię, aut lectionis, ſpecialis ocurrat pro toto conuentu ocupatio. Et nomine dierum lectiborum intelligimus eos in quibus (iuſta diſponendum inferius) patres Lectores non tenentur matutinis intereſſe, & qui modo ex præcepto, vel voto, non ſeruantur à populo, iuſta nonam reformationem. Quod ſi nulla die alicuius hebdomadæ ab exercitio ſtudiorum quomodocumque vaccauerint fratres, in concluſione, & conferentijs cum eis, eiuſdem hebdomadę feria quinta diſpenſamus, præterquam in aduentu & quadrageſima: obſecramuſque R. A. P. N. Prouincialem, vt nullatenus alicui concedat facultatem in iſto præcepto diſpenſandi.

Vltimo: ſub eodem præcepto mãdamus, necnon ſub pœna excomunicationis maioris, latæ ſententię, hac vna pro trina canonica monitione præmiſſa ipſo facto incurrenda, & ſub pœnis in Capitulis generalibus aducendis, in hac ordinatione contentis, vt circa fratres ab indijs in Hiſpaniam venientes, etiamſi ſint procuratores & diffinitores prouinciarum, ſeruentur reſpectiue contenta in Capitulis generalibus, Romæ 1571. & Barchinone 1574. & Romæ 1580. & 1589. & valentiæ 1596. & 1647. & Romę 1651.

OR-

# ORDINATIONES.

ORdinamus (quod aliàs præceptum eſt, vt bona fratrum defunctorum, ante eorum diſtributionem, à preſidente conuentus, duobuſque depoſitarijs, aut grauioribus patribus, fideliter omnia, & ſingula in ſcriptis numerentur (vna tantum excepta veſte) & ſic enumerata, in tres equales partes diuidantur, quarum vna ſit integer pro anima defuncti, & huius diſpoſitio ad conuentus per æquales partes ſpectabit, ad quos, & diffunctus pertinebat, ſine ratione aſsignationis, ſiue filiationis, ſiue prioratus; due vero aliæ partes æqualiter ſpectabunt ad conuentum, cuius erat filius, & in quo erat aſsignatus. Præſidens autē conuentus, in quo frater obijt, nullo modo diſponat de parte ad alium cōuentum atinente, vſque dum adſit diſpoſitio, & notitia præſidentis illius conuentus, ad quem illa pars attinet. Quod ſi religioſus non habuerit bona; dicantur pro eo quam primum quinquaginta Miſſæ in ſolidum.

*De diſtributione bonorū defunctorū.*

Item: ordinamus ſub pœna quindecim dierum in pane, & aqua (quam prælatus teneatur infligere ſub pœna ſuſpenſionis à ſuo officio) ne vllus frater pernoctet extra conuentum in locis, vbi conuentum habemus.

*De nō pernoctando extra conuentum.*

Iten: ordinamus, & precipimus omnibus prioribus, & conuentuum præſidentibus, ne fratribus licentiam itinerandi, concedant vltra ſpatium quatuordecim leucarum, quod & in conſtitutionibus cautum eſt.

*De licentijs itinerandi.*

Item ordinamus, vt ſeruetur decretum de loco ſocij R. A. P. N. Prouincialis, vt hucuſque ſeruatum eſt.

*De loco ſocij.*

Item ordinamus, quod confeſſores, & procuratores, & Vicarij, & parrochi monialium, tres miſſas celebrēt, pro Monaſteriorum obligationibus, quas ſi monaſteria non habuerint, vnam (ad minus) qualibet ſeptimana dicant,

*Confeſſores, Procuratores, & Parrochi monialiū, quot miſſas celebrare debent.*

cant,pro intentione R.A.P.N.Prouincialis,ex hijs quę perſonaliter ad eos pertinent; quam miſſam ex nūc pro tunc in ſolidum aplicamus in foro concientiæ.

*De abſtinentia à carnibus.*

Item ordinamus,& Prioribus,aut Præſidentibus Cōuentuum,ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, præcipimus, vt nulli carnium æſum concedant, niſi in die Dominica, feria tercia, & quinta duntaxat, cum aliquibus diſpēſetur dummodo ſextum decimum annum profeſſionis expleuerint, vel aliqua infirmitate lauorauerint, dimidia ſaltē parte remanēte in refectorio: in cęna vero nullus permitatur æſus carnium, nec fiant Prioribus cōuiuia,niſi vrgenti cauſa, & cum moderatione religioſa; in hoſpicio autem ſilentium in falibiliter obſeruetur.

*Licentiæ aſignationes institutiones quā do ſūt notificandæ.*

Item ordinamus, vt inſtitutiones aſsignationes licētiæ,& depoſitationes, quæ intra duos mēſes,a die cōceſſionis notificatæ non fuerint,ipſo facto ſint nullæ,ſolumque notificentur à Præſidente conuentus, aut de eius licentia,niſi cum frater in via illam receperit.

Item ordinamus,quod Magiſtri Nouitiorū,nec hebdomadam fatiant,nec ad illam notentur,& quod locum obtineat immediatum, poſt huius Prouintiæ Præſentatos, in domibus, quibus R. A. P. N. Prouinciali viſum fuerit,nullus autem deinceps fiat Nouitiorum Magiſter, in con ſulto R.A.P.N.Prouinciali,qui de conſilio Patrū, zelo,& religione præſtantium,omnes Magiſtros Nouitiorum aprouet aſumendos, & ex hijs, quicumque tale officium, laudauiliter iudicio R. A. P. N. Prouincialis exercuerint, in perpetuū Paternitatis gaudeāt titulo,& quod poſt decenium tale officium exercuerint,in Conuentibus,vbi R.A.P.N. Prouincialis decreuerit,in perpetuum maneant diſpenſati ab hebdomada facienda, & à matutinis;niſi in diebus feſtiuis.

*De non exeūdo ad recipiēdū*

Iten ordinamus, & omnibus huius noſtræ Prouinciæ

fra-

fratribus, cuiuscumque ſin conditionis, præcipimus, vt nullo modo, exeant extra Couuentus, vel opida ad recipiendum R. A. P. N. Prouincialem, Priores ſeu quemlibet alium Religioſum, neque quando à conuentibus, quamuis cauſa, vel ocaſione recedunt, eos ſocient.

*prouinciã nec prio res, nec al terũ Reli gioſum.*

Item ordinamus, & R. A. P. N. Prouincialem obſecramus, ne de inceps aliquem in Priorem proponat niſi poſt bienium ſui Prioratus expletum, & quod nullatenus permitat duos in Prioratu alicuius conuentus ſibi inuicẽ ſuccedere. Et omnibus Prioribus, & ſuprioribus præcipimus, quod ambobus in opido vbi conuentum habemus, exiſtentibus, vnus tantumodo, & non vterque ẽ domo exeat. Neque Prior vltra octo dies abſit à ſuo cõuentu in conſulto R. A. P. N. Prouinciali.

Item ordinamus, quod qui R. A. Prouincialis huius Prouinciæ, officio functus fuerit (licet non ſit magiſter) maneat, duntaxat ſubiectus R. A. P. Prouinciali, vel Vicario generali huius Prouinciæ pro tempore, & quod potiatur omnibus gratijs, præuilegijs ac indultis, quibus patres Magiſtri huius Prouinciæ potiuntur, & quod pro ſuo arbitrio, quemcumque conuentũ ſibi placitũ queat eligere, in quo demoretur, abſq; vlla dependentia Prioris conuentus, quem elegit.

De provin

Item, vt ordinatio quinta Capituli Generalis 1650. executioni mandetur ſine ſcandalo, & ſecularium ſpeciali atentione, ordinamus, quod deinceps nullum caputium fiat niſi cõformiter ad diſpoſita in dicta ordinatione, & huiuſque facta in vigilent priores, vt paulatim, ad normam ibi ſignatam, reducantur.

De Caputio

Item ordinamus ne fiant depoſitarij alicuius conuentus niſi de aſſenſu ipſius in publico Capitulo, à quo officio nequeant amoueri, niſi de conſilio patrum: quod ſi contingat Priorem, ex dictis aliquem aſsignare velle,

*De depoſitarijs [illegible] ciendis.*

 te-

teneatur prius R. A. P. N. Prouinciali manifeſtare, aſsignandum officio fungi depoſitarij talis conuentus.

*Prioresnõ habeant, apud ſe librum procuratoris.*

Item ordinamus, & mandamus patribus Prioribus ſub pœna abſolutionis ab officio, infalibiliter infligenda, vt librum Procuratoris, ſeù comunium expenſarum conuentus apud ſe non retineant, nec manu propia in eo, quid conſcribant, per ſe ipſos Procuratoris officiũ exercentes, niſi coram depoſitarijs, alijsvè duobus fratribus in eorum abſentia ratiotinia fatiant.

*De Roſſario recitãdo.*

Item ordinamus iuxta decretum Reuerendiſsimi Patris N. Generalis, vt ſingulis diebus poſt completorium, omnus fratres, & ſorores recitent alta voce, & deuote, per choros alternando, terriam partem Roſſarij Beatiſſimæ Virginis Marię, ſecundum ordinem miſteriorum.

*De examine confeſſorum.*

Item ordinamus, vt fratres ad audiendas confeſsiones, & concionandum exponi non poſsint, niſi in ſtudijs generalibus, inter quę, Pampilonenſem Vniuerſitatem, & conuentum Legionenſem comprehendi volumus: & non aprouentur niſi ad ſit ſaltim vnus ex Theologiæ lectoribus cum aliquo graduato, vel ambo ſimul, & ſolum per trienium, quo expleto, iterum examinentur. Excipimus Lectores Artium, qui poſt inſtitutionem examinantur, caſuumque concientiæ, qui per quatuor annos completos, tale officium compleuerint: & eos, qui per nouem annos, licentias, ſeù expoſitiones habuerint, quibus concedimus, vt poſt nouem annos decurſos, quibus gauiſi aprobatione fuerint, queant ſimpliciter exponi. Quod ſi quiſpiam in aliquo conuentu examinatus, reprobatus fuerit, nec examinetur, nec examinatus approuari queat, niſi tranſactis ſex menſibus; quod ſi contrariũ fecerint (vt ſubreptitiam) expoſitionem nullam redimus, & inanem: & vt tutius conſulatur concientiæ, & miniſterio, prædicti examinatores, certiorem redant



Prio-

Priorem conuentus de examine, & reprouatione ſui ſubditi, eorumque concientias in diem Domini aggrauantes, iniungimus, vt examem cum ſuma rectitudine peragant, & quod ſemel admiſum ad examen, approbare, vel repprobare teneantur.

Item ordinamus, quod in receptione nouitiorum ad habitum, & profeſionem, vota fratrum per ſchedulas, vel fauas admitantur, & regulentur à Prælato, cum aſiſtentia duorum antiquorum patrum in Capitulo aſsiſtētium, & in conuentu monialium, cum aſiſtentia Vicarij, vel confeſſoris, vbi non fuerit Vicarius, & ſchedulæ regulentur coram prioriſſa & ſupprioriſſa, & in earum defectu, coram duabus ſororibus ex antiquioribus conuentus. *De modo recipiendi nouitios.*

Item ordinamus, quod ſuppriores in ſede vaccante, vel quacumque priorum abſentia, non aplicent ſibi plures miſſas, quam quæ eis communiter conferuntur. *Supprio res nõaplicent ſibi miſſas.*

Item ordinamus huius noſtræ Prouinciæ lectoribus, & prædicatoribus, vt in maioribus Eccleſiæ ſolemnitatibus, in omnibus feſtis Beatiſsimæ Virginis Mariæ, Sãctorum Apoſtolorum, Euangeliſtarum, quatuorque Eccleſiæ Doctorum, & ſanctorum noſtri ordinis, Maturinis, vtriſque veſperis, Miſſæque maiori omnino interſint: & quod à ſtudijs non vaccent, quando prædictæ ſolemnitates in diebus propijs non celebrantur, exceptis feſtis Anuntiationis, & ſancti Thomæ Aquinatis. Et prælati ſumopere invigilent in obſeruantia huius ordinationis; ſicut etiam in aſiſtentia fratrum ad completoriũ, ſalue regina, & tertiam partẽ Roſſarij, nullum ab vſum permitentes, neque diſpenſationem concedentes, abſq; legitima cauſa: nec lectores Artium qui curſum ſuæ lectionis peregerunt, diſpenſare poſsint patres Priores ab aſsiſtentia Chori, poſt primum ſuæ vacaturæ annum cõ- *Lectores, & Prædicatores quando in choro intereſſe debent.*

ple-

pletum, niſi de licentia R. A. P. N. Prouincialis.

*Lectores quandode beant miniſtrari Altari.* Item ordinamus, quod Patres Lectores Theologiæ huius noſtræ Prouinciæ, Euangelium cantent ad Altare miniſtrādo Priori in feſtis Paſchalibus, Magiſtri vero ſtudentium, & Lectores artium, miniſtrent Altari in feſtis ſolemnibus, iuxta arbitrium Prioris, verſiculoſque, & reſponſoria dicant cum quolibet fratre reſpondente, ſibi ſecundum ordinem antiquitatis.

Item ordinamus, quod nullus aliquem nominet, titutulo cuiuſvis gradus antequam eū ſuſcipiat, nec graduatorum præuilegijs potiatur.

*Circa ſtudium, & ſtu dētes.* Item ordinamus, ſtricte cuſtodiri ordinationem Reuerendiſsimi P. N. Generalis, circa ſtudium, & ſtudentes inhabiles, & ineptos, quos R. A. P. N. Prouincialis à ſtudijs à moueat, & in prçcipuis huius noſtræ Prouinciæ Conuentibus, ocupentur in officijs fratrum conuerſorū, etiam humilium; quibus tamen per duos integros annos exercitia ſtudiorum permittantur, vt eorū ignauia manifeſtius innoteſcat, quibus per actis, ſi omnino inhabiles inveniantur repelantur à ſtudijs, ſine recurſu, & ſpe, vlterius redeundi; in quo R. A. P. N. Prouincialis concientiam in diem Domini aggrauamus; obſecrantes vt nullius petitionis interuentu, huic noſtræ ordinationi cædat. Præcipimus omnibus Reuerendis Patribus Prioribus Conuentuum ſtudiorum, ne in diebus lectiuis, Lectores nec ſtudentes extra Conuentum exire permitāt, nec etiam prætextu audiendi cōfeſsiones, niſi grauis vrgeat neceſsitas.

*Circa receptionē Nouiciorum.* Itē ordinamus, vt ſuma cura adhibeatur circa receptionem Nouitiorum ad habitum, & profeſsionē, ne inepti, & minus habiles, cum magno Religionis diſpēdio admittantur; vt ſcilicet examen illorum fiat a tribus Patribus examinatoribus, iuſta normam noſtrarum conſtitutionum,

tionum,ſimul exiſtentibus,in præſentia Prioris,ſeu Pręſidentis Conuentus.

Item ordinamus,& præcipimus in virtute Spiritus Sancti,& ſanctæ obedientiæ,& ſub pręcepto formali,ne quis repræſentationibus,ſeu comedijs, quæ à publicis hiſtrionibus(qui hoc ex officio habent)fiunt, interſint, niſi in Capitulis Eccleſiarum, in domibus Epiſcoporũ, ſeu Religioſorum alterius ordinis,aut publicis ſanctorũ ſolemnitatibus;& quod Prælati,ſeu Conuentuum Præſidentes,comedias in domibus noſtris fieri non permittant,etiam ſponte oblatas:& ſub eodem præcepto mandamus,ne fratres eas repreſentent,aut vllo pacto, veſtibus vtantur ſæcularibus;admonẽtes omnes patres priores,ſeu pręſidentes Conuentuum,qui in hoc negligẽtes fuerint,ab officio abſoluendos fore,quæ ordinatio, & præceptum etiam moniales comprehendit. *Circa comedias.*

Item ordinamus,vt nullus frater alienę prouinciæ,in noſtra exiſtens,ſiue de nouo adveniens,aſsignetur, ſed tantum depoſitatus maneat; vnde tenore præſentium, ex nunc pro tunc,reuocamus omnes prædictos fratres; cuiusvis ſint prouinciæ ab huius noſtræ quibuslibet Cõuentibus in quibus fuerint aſsignati,& in eijſdem depoſitamus;qui omnino ſeruabunt leges depoſitatorum,ſuperius ſancitas. *Fratres alienæ Prouinciæ ſint depoſitati.*

Item ordinamus,& declaramus, vt in Conuentibus, vbi plures adſunt Magiſtri,antiquior eorum ſit Regens, eo tamen a gymnaſio abſente,Magiſter qui ſuccedit, & ſic ſucceſsiue alij,iuxta ſuorum antiquitatem graduum; vbi tamen vnus tantum adeſt,ipſo facto ſit Regens, non obſtante quacunque conſuetudine,ſeu potius corruptela in contrarium. *Magiſtri, ſunt Regentes.*

Item ordinamus,quod Cathedratici Artium,& ſacrę Theologię Vniuerſitatũ omnibus gaudere pręuilegijs, *Cathedratici Vniuerſitatũ.*

quibus

quibus gaudere ſolent huius noſtrę Prouinciæ Lectores.

*De Lectoribus theologiæ.*

